



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 84. Martini V. Papæ obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

celebrandæ Basileensis Synodi appropin- Sæcul. XV.  
 quabat; hinc Julianum Cardinalem hu- A. C. 1431.  
 jus urbis Legatum *a latere* nominat, cui  
 etiam suas supplere vices præcipit, eique  
 plenam Synodum habendi auctoritatem  
 concedit; ipse enim Romæ morbo de-  
 tentus, Præsidis partes suscipere haud po-  
 terat. Injunctum quoque Legato, colla-  
 tis cum Patribus consiliis ea omnia de-  
 cerneret, quæ expedire judicaverit pro  
 conservatione ac augmentatione fidei, pro sta-  
 tu Ecclesiæ, reformatione Cleri, Unione  
 Græcorum cum Latinis, extirpatione  
 hæresum, præcipue Hussitismi, pro liber-  
 tatum Ecclesiasticarum defensione, pro  
 pace ac tranquillitate Regnorum, Princi-  
 pium, ac Populorum, prout fusius legitur  
 in Bulla, quam Pontifex prima die Fe-  
 bruarii dedit, & vigesimo ante mortem  
 suam die Juliano Cardinali transmisit.

### §. LXXXIV.

#### *Martini V. Pontificis obitus.*

Inter hæc summus Pontifex, cum tam *Platina, Cia-*  
*pia, tamque Christianæ Reipublicæ conius, & S.*  
*proficua conceperisset consilia, Romæ apo-* Antoninus  
*plexia tactus, die vigesima Februarii re-* Chron. tit.  
*bus humanis eripitur, postquam annos* 22. c. 8. §. 2.  
*sexaginta tres natus Pontificatum trede-*  
*cim annis, tribus mensibus, ac duodecim*  
*diebus tenuisset. Corpus ejus in Basili-*

**Sæcul. XV.** ca S. Joannis in Laterano ante Aram, ubi  
**A. C. 1431.** capita SS. Apostolorum Petri & Pauli re-  
 posita sunt, sepultum quiescit. Ex om-  
 nium Scriptorum testimonio Pontifex iste  
 plurimis virtutibus resplenduit: Reddidit  
 etiam Ecclesiæ unionem, Italiæ pacem,  
 & Romanæ urbi pristinum suum splen-  
 dorem. Nonnulli tamen lucri cupidum con-  
 viciantur, quos tamen valide redarguit S.  
 Antoninus, palam testatus, cunctas facul-  
 tates ab eo adversus Ecclesiæ hostes, at-  
 que ad restaurandas Ecclesias, Urbemque  
 pluribus ædificiis augendam quam utilis-  
 sime, impensas. Platina infractum hujus  
 Pontificis animum, summopere commen-  
 dat, eoquod funestam mortem duorum,  
 utut sibi carissimorum Fratrum (quorum  
 unus natu major Jordanus Princeps Sa-  
 lernitanus peste, alter junior Laurentius  
 in quadam turri flammis extinctus est)  
 æqua, ac prorsus immota mente tulisset,  
 & nihilo secius rebus Ecclesiæ constan-  
 ti sollicitudine insudasset.

## §. LXXXV.

*Eugenius IV. Papa electus.*

**Onuphr. de Justis Martino V. persolutis, Sacra Se-**  
**Rom. Pontif.** des decem duntaxat dies vacabat.  
 Prima Martii nonnisi quatuordecim Car-  
 dinales conclave ingrediuntur, nam quin-  
 que ex Collegio aberant, præter alios  
 qua-